

40. id hac voce insinuatur Heb. 8. 5. Pari modo revelatio de di-
ludio ab ipso Deo Noe facta Gen. 6. 13. eodem vocabulo Heb.
II. 7. exprimitur. Et $\chi\epsilon\pi\alpha\lambda\iota\sigma\mu\omicron\varsigma$ dicitur Rom. II. 4. respons-
sum à Deo, in sibilo aure tenus se manifestante, Eliæ datum I.
Reg. 19. 12. 18.

X. Ad Deum ergo divinarum rerum revelatio, seu ad
primum authorem referenda, non secus atq; visio lucis ad lucem,
Solis ad Solem. Licet verò internuntijs quandoq; utatur ange-
lis, seu in nostro Evangelio bis legimus angelum in somno appa-
ruisse Iosepho; id tamen Dei jussu factum, atq; ita omnino ad
eundem referendum. Angelus enim est & dicitur, quia lega-
tus Dei est, idq; etiam hac in parte, quando hominibus divina
revelat. Et legatus certe, omnem actionem suam merito ad
principalem refert, atq; hic potissimum ut suprema considerandus
causa est. Inde tamen hanc distinctionem elicimus, quod reve-
latio alia immediate à Deo fiat, alia mediantibus creatu-
ris internuntijs.

XI. Ubi nonnulli priorem revelationis modum plane ne-
gant, & statuunt, Deum tantum per angelos revelatio-
nes peregisse, cum ipsa legis revelatio ad angelos referatur
Gal. 3. 19. Vid. P. Martyr. in Loc. comm. L. 4. Sed enim
licet ministerium angelorum in legis promulgatione à nobis non
negetur: revelatio tamen ipsa atq; elocutio ad Deum ipsum, hi-
storia Mosaiica attestante, referenda est, nec ab Apostolo illic
negatur. Et qui posset Deus ex precedentibus cum Mose actio-
nibus & locutionibus, inter quas & promulgatio legis est, exclu-
di; cum expresse Exod. 33. 2. 3. ab angelo, loquens cum Mose
distinguat, & se nolle porro cum Israelitis ire, sed angelum
missurum dicat, Mose vero non intermissis precibus tandem
obtineat, ut Deus se ducem tineris fore promittat Ex. 34. 11.
Omnino ergo Deus ipse cum Mose locutus, nec angelis internun-
tijs semper usus fuit. Ex visione Esa. 6. idem discrimen ma-
nifestum